


angulum DEF; vel deniq; Inæquilaterum, quale est Triangulum GHI.

Quomodo autem quævis Triangula jam enarrata construi debeant: docebunt sequentia VIII. Problemata.

*PROBL. I. Triangulum construere ex datis tribus lineis.*

Trianguli fabricandi aut dantur latera, ex quorum mutuo annutu, Triangulum concluditur: aut saltem datur species, puta, quando postulatur fieri Triangulum Rectangulum Æquicrurum vel Inæquilaterum, vel Triangulum Æquilaterum, &c. Ego illius fabricam studio præmitto, & cum Euclide, qui idem docet *p. 22. I.* moneo, ut caveatur, ne duæ lineæ simul sumtæ aut æquales, aut etiam minores sint tertiâ.

Sunt ergo datæ lineæ rectæ A, B, C, ex quibus sit formandum Triangulum: ponatur quævis earum loco basis, cui nimirum Triangulum Totum insistet: reliquarum longitudines sumantur cum circino & transponantur ex punctis extremis prioris, nimirum ex A & B ad concursum mutuum vel ad intersectionem arcuum in C. Ita latus Trianguli AB referet lineam ex datis lōgissimam A; latus BC minimam C: latus AC mediam B: atq; ita etiam Triangulum ex datis lineis constructum est.



*PROBL. II. Triangulum Æquilaterum construere.*

In hoc & sequentibus Problematibus pono, speciem Triangulorum, seu formam eorum saltem dari, non verò materiam, quæ in priori offerebatur.

Sumtâ